This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Lc
40.207

LC 40.207

Harvard College Library

FROM THE BEQUEST OF

JAMES WALKER, D.D., LL.D.

(Class of 1814)

FORMER PRESIDENT OF HARVARD COLLEGE

"Preference being given to works in the Intellectual and Moral Sciences"

Digitized by Google

Digitized by Google

Lc 40. 207

AD LOCVM CICER. DE OFF. II. 13.

DE MODESTIA

DISSERTATIVNCVLA

CREATIONI

XIII. PHILOS. DOCTORVM ET L. L. A. A. MAG

RECTORE MAGNIFICO

D. IOHANNE GOTLOBO HAASIO

ANATOMIAE ET CHIRVRGIAE PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO, ORDINIS MED. SENIORE, REGIAE SOCIETATIS SCIENTIAR. GOETTINGENSIS ET OECONOMICAE LIPSIENSIS SODALI

PROCANCELLARIO SPLENDIDISSIMO

CAROLO ADOLPHO CAESARE

LOGICES PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO, MAIORIS COLLEGII PRINCIPVM COLLEGIATO

DECANO SPECTABILI

GOTFRIDO AVGVSTO ARNDTIO

PAVNSDORFII DOMINO HEREDITARIO, MORALIVM ET POLIT PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO, COLLEGII B. MARIAE VIRGINIS COLLEGIATO, SOCIETATIS OECONOMICAE LIPSIENSIS SODALI

DICATA

AB

IOHANNE GEORGIO ECCIO

POETICES PROFESSORE

D. XI. FEBR. A. cIↄIↄCCLXXXXVI

LIPSIAE

EX OFFICINA KLAVBARTHIA

Digitized by Google

Lc 40.207

Harvard College Library
Feb. 2, 1917
Walker Fund.

Digitized by Google

Prima commendatio (adoleſcentis) *proficiſcitur a modeſtia.*

Lubenter hoc ſolemus facere, vt in ſcriptis publicis, Veſtra in primis cauſſa, Cariſſimi Ciues, publicandis, de argumento agamus Vobiſcum, quod ad commendandam vobis virtutem, et bonos mores, pertineat. Quum igitur vitis Philoſophiae Doctorum quotannis apud nos creandorum, non ſemper carmen praemittere, ſed varietate quadam vti, alternanda oratione, conſtituerimus: modeſtiam, carmine nuper breviter adumbratam 1), iterum iam paulo accuratius, et diligentius, expreſſam proponere viſum eſt, vt gaudeant, qui imaginem in hac honeſtatis parte ſuam, tamquam in ſpeculo, conſpicerent; amare contra illius formam prae ſua inciperent, ſi qui forte eſſent diſſimiles. Atque haec virtus nemini magis commendata eſſe debet, quam nobis, Cariſſimi Ciues, qui manſuetiora illa ſapientiae diuinae, et humanae, ſtudia tractamus, idque in ea ciuitate, quae humanitatis, modeſtiae, elegantiae, magiſtra a tot inde ſeculis exiſtimatur.

Modeſtia autem, vt ipſa origo vocabuli indicat, ea eſt virtus, quae modum ſeruat, vel intra modum ſe, ac menſuram legitimam, continet. Cernitur enim in ea cupiditatum moderatione, qua de noſtris dotibus, ac meritis, demiſſe ipſi ſentimus, honorum appetitus contrahimus, ac ſedamus, neque ad eos per vim, dolum, munera, aliaſque artes malas, adſcendere ſtudemus; ad haec neminem contemnimus, licet

 mino-

1) 1790. apud Klaubarthum.

minoribus praeditum naturae donis, atque omnes denique animi, et corporis, motus, geſtuſque, omnia cultus genera, etiam ſermones omnes, et actiones, ita moderamur, vt ordini naturae, legum ſeueritati, et ſortis noſtrae conditioni, conveniant.

Modeſti appellatio Germanica *beſcheiden* olim erat titulus honeſtiſſimus Senatorum, Iudicum, ac Scabinorum, qui *beſcheidene Manne* vocabantur 2). De huius vocabuli ſignificatione haec habet WACHTERVS 3): *Beſcheiden Theil, portio, quae cuiuis, ſiue iure, ſiue legato, ſiue alia diuiſionis lege, competit, modica, ſed debita. Hinc etiam modeſtus dicitur beſcheiden, quia intra modulum ſui ſtatus, fortunae, ingenii, tanquam intra portionem ſuam, ſe continet, et in diſtributione laudis plus ſemper aliorum virtutibus, quam ſuis, tribuit.*

Itaque modeſtus fuerit ille, qui nemini temere ſe praeferat, qui non poſtulet primarum partium actor eſſe, non praeripiat aliis vices loquendi, neque interpellet, non clamet, non contra alios dicat, niſi ſumma cum moderatione; neminem vrgeat, ipſe cedat facile etiam minoribus; contra ſe dicentes placide ferat, non temere conqueratur ſe contemni, aut praeteriri, ſeculum non accuſet, quod male de ſe iudicet, quod indignis honor habeatur, non ſtomachetur, alienam provinciam non iuuadat; ſed interpellatorum, obtrectatorumque, omnium leuitatem humaniter ferat; de ſe non modo non praedicet, ſed ne loquatur quidem, niſi vbi, vel neceſſitas aliqua, vel aliis obſequendi ſtudium, exigat; riſus, iocos, voluptatum etiam liberalium fructus, et commoditates quaſcunque, negligat, ſi illis rebus offendi quemquam, aut honorem, exiſtimationem, dignitatem, auctoritatem, illius imminui, videri ſentiat; de iure ſuo, et commodis, de parte rei familiaris, concedat potius, ſi ea iactura ſit vtcunque tolera-

2) v. HALTAVSII Gloſſarium german. medii aeui. T. I. p. 140.

3) in Gloſſar. germ. p. 1392. ſub voce *Scheiden*.

lerabilis, quam vllis contentionibus negotium ſibi, aliiſque, faceſſat.

Ecquid videtur de hac modeſti imagine? Nonne is homo, cuius illa eſt, vndique amabilis apparet? non talis, cuius conſuetudinem merito omnes appetant? Vt enim virtutibus omnino omnibus hic diuinitus attributus eſt honor, vt placeant etiam his, qui illas aſſequi ſuam ob prauitatem nolint: ita hanc ipſam eſſe modeſtiae in primis naturam, ſortemque, manifeſtum eſt.

Rectiſſime igitur, veriſſimeque, ſapientiſſimi omnis aeui viri hanc virtutem laudarunt, et ſcriptis, et exemplo quiſque ſuo commendarunt. Et Cicero quidem, vt illum, quem nobis hac diſſertatiuncula illuſtrandum ſumſimus, locum iam laudatum 4) non repetam, alibi praecipit, *colendum eſſe ita quemque maxime, vt quiſque maxime virtutibus his lenioribus erit ornatus, modeſtia, temperantia, et iuſtitia* 5): ac de Marco Fabio dicit: *Mirifice eum diligo, cum propter ſummum ingenium eius, ſummamque doctrinam, tum propter ſingularem modeſtiam* 6). Haec virtus, quam Menander *virtutis penum* 7), et Evripides *pulcherrimum Deorum donum* 8), appellauit, in Miltiade, ac Timoleonte 9), laudatur. Hanc Tacitvs laudat in Furio Camillo, Procons. Africae, qui Tacfarinatem vicit 10), et in Iulio Agricola, de quo dicit: *Ne famam quidem, cui etiam ſaepe boni indulgent, oſtentanda virtute, aut per artem, quaeſiuit: procul ab aemulatione aduerſus collegas, procul a contentione aduerſus procuratores* 11). Quis non admiretur in Graeciae ſapientibus mutuam modeſtiam, quorum alter alterum, ſe ipſo ſapientiorem iudicabat 12)? Cui non placeat e recentioribus eiuſ-

4) de off. II. 13.
5) de off. I. 15.
6) Epiſt. ad diuerſ. II. 14.
7) Ταμεῖον ἀρετῆς ἐςὶ σωφροσύνη μόνη. p. 206. ed Clerici. Amſt. 17?9.
8) Δώρημα κάλλιςον Θεῶν. Med. v. 637.
9) Corn. Nep. in Milt. I. 1; in Timol. IIII. 2.
10) Annal. II. 52.
11) in vita Agricolae. c. 9.
12) v. Plvtarch. in vita Solonis. c. 4.

eiuſdem virtutis exemplis Fridericus ſapiens, Elector Sax., qui a reliquis Principibus Electoribus, poſt mortem Maximiliani, Imperator ſuffragiis omnibus creatus, ingenti animo delatum imperium recuſauit, ſuoque ſuffragio Carolum V. deſignauit: oblatam eo nomine magnam pecuniae vim a legatis Caroli reiecit, neque fieri paſſus eſt, vt quiſquam ſuorum quidquam acciperet?

Sed maneamus in viris doctis. Cum enim in his modeſtia a multis numerata ſit in rebus deperditis 13), eo magis ex eorum numero proponenda eſſe putamus exempla. Inſignis Lutheri modeſtia quem fugit 14)? Bugenhagius, quem apoſtolum veritatis recte dixeris, ampliſſimos honores, et opes, Epiſcopatum Schleſuicenſem, et Caminenſem, recuſauit, et ſua conditione, et loco, in quo primum Vitebergae fuerat conſtitutus, ſemper vixit contentus. Hinc poſt eius mortem, anno cIↄIↄLVIII., Academia, et Magiſtratus, Vitebergenſis ad Electorem Sax. Auguſtum ſcripſit: *Wir erkennen vns zur Dankbarkeit gegen Gott ſchuldig, daſs er vns einen ſolchen treuen Paſtor 36. Iahr gegeben hat, der in Sterben vnd Krieg nicht von vns gewichen iſt, vnd hat dieſe Kirchen* o h n e S t o l z *in chriſtlicher Einträchtigkeit allezeit regieret.* Laudatur ob hanc modeſtiam inprimis a THVANO 15), et VERHEYDENIO, cuius verba haec ſunt: *in Bugenhagio modeſtia ſingularis. Huic animus ab omni ambi-*

13) Ita iudicaſſe IO. AVGVSTVM ERNESTIVM, patet ex eius Opuſculis oratoriis, vbi p. 156. haec leguntur: *Socratis hoc fuit, auctore Platone, vt in diſputando cuperet inferior potius, quam ſuperior, abire, digna Philoſopho modeſtia, dudum illa in rebus deperditis, vt opinor, numerata.*

14) In primis memorabilia videntur iudicia viri ſummi de viris doctis ſui aeui, e. g. Melanchthone, Bugenhagio, Brentio, aliis. De Brentio ita ſcribit: *Es iſt keiner vnter den Theologen zu vnſerer Zeit, der die heil. Schrift alſo erkläret vnd handelt, als Brentius, auch alſo, daſs ich ſehr oft mich verwundere über ſeinem Geiſte, vnd an meinem Vermögen verzweifele* S. LVTHERS *ſämmtl. Werke im 22ſten Th. der Walchiſchen Auſgabe.* S. 2290.

15) Hiſtor. L. XXI. p. 948. ed. Francof. 1614.

ambitione alienus erat 16). Io. Gerhardus, a multis viris doctis ſui temporis Architheologus recte vocatus, infimum inter profeſſores theologiae Ienenſes locum tenere voluit, quum antea principem inter eos, qui ſacra in ducatu Coburgenſi curant, obtinuiſſet. Cauſſam ſimul addit vir modeſtiſſimus hanc, ob aetatem iuuenilem, viriumque tenuitatem 17). De Iohanne Mabillonio GVILIELMVS ROVSSELIVS, in elogio in eius honorem ſcripto, inter alia, haec dixit: *Omnium hominum ſibi conciliauit animos, hominum mitiſſimus. In ipſis etiam litterariis diſceptationibus, quas plurimas cum viris clariſſimis habuit, nemini aſper, neminem laeſit, etiam laeſus. — Ceteris teſtibus nemo maior, ſe ipſo iudice nemo minor.* Quem quum Tellerius, Rhemenſis, ac Boſſuetus, Meldenſis, Epiſcopi, in Ludouici XIIII. Regis conſpectum primum adduxiſſent, ille: *En*, inquit, *o Rex, virum regni tui omnium eruditiſſimum!* cui Boſſuetus addit: *eundemque modeſtiſſimum* 18). Peregrinanti cuidam, doctiſſimos Franciae viros adituro, cui veterum rerum per regnum hoc geſtarum perquirendarum cauſſa Carolus Cangius fuerat

16) Effig. praeſtantium aliquot Theologorum. p. 35. Laudabili exemplo nuper memoriam Bugenhagii recoluit Fridericus, Regis Daniae frater, erecto Iaegerſpriſii, prope Hafniam, monumento, quod WANDALIVS in libro: *Lebensbeſchreibungen der verdienten Männer, die zu Iägerspriis durch Denkmäler verewigt worden*, p. 9. his verbis deſcribit: *An einer dreyſeitigen Spitzſäule, deren Fuſsgeſtell eine Klippe bildet, lieſet man die Namen:* ANSGARIVS, LVTHER, BVGENHAGEN. *An der Spitze der Säule funkelt ein goldner Stern, mit der Inſchrift:* Dan. XII. 3. (Qui alios intelligentiores reddiderunt, ſplendebunt vt fulgur aethereus.)

17) Verba eius, quae ex litteris ad Academiam Ienenſem attulit editor vitae Gerhardi, ERDMANNVS RVDOLPHVS FISCHERVS, p. 83. haec ſunt: *Daneben vnterdienſtlich bittend, da je nach Gottes Willen der vacirenden Stellen eine mit meiner Wenigkeit ſollte in künftigen erſetzt werden, daſs in Betrachtung meiner Iugend und anderer Tenuitäten der tertius und alſo vltimus locus mir mögte aſſigniret, und der ſecundus locus einem andern vorbehalten werden.*

18) v. *Hiſtoire litteraire de la congregation de St. Maur, ordre de St. Benoit. (par R. P. Taſſin.)* Art. Mabillon.

fuerat commendatus, hic ipſe vir doctiſſimus: *Quae tu*, inquit, *ex me ſcire vis, ex hac hiſtoriae parte, de iis perquirendis equidem parum fui ſollicitus; ſed ſolus tibi Mabillonius adeundus erit.* Quod quum ille feciſſet, Mabillonius pariter, *ſi tu*, inquit, *ſatiſfactum tibi hac in re plane cupias, Cangium petes.* Sed *hic ipſe me ad te allegauit*, ille reſpondet. Cui Mabillonius: *Atqui is mihi praeceptor fuit. Tibi tamen, ſi porro me placuerit inuiſere, pauca illa, quae ea de re ſcio, lubentiſſime equidem tecum communicabo.* At ille vtrumque hunc adire cum perrexiſſet, vehementer duumuiros eos, et eruditione, et modeſtia, ſingulari conſpicuos, admiratus eſt. De Montefalconii modeſtia inſigne exſtat teſtimonium Trilleri, qui eum vocat virum doctiſſimis doctiorem, et humaniſſimis humaniorem 19). Et quem inter noſtrates fugiunt exempla in hac vrbe exſtantia Caluiſii, Chriſtiani Frid. Boerneri, Gellerti, Reiſkii, Mori, aliorum? Et Caluiſius quidem ab Academiis Vitebergenſi, et Francofurtana, aliiſque vrbibus, lautis inuitatus conditionibus, maluit Lipſiae in humili conſeneſcere ſtatione, quam alibi titulos, et honores, conſectari ſplendidiores. Boernerus autem in vitae ſuae deſcriptione 20) dicit: *In id ſedulo incubui, vt a voluptate, auaritia, arrogantia, ſuperbia, alieniſſimam ſeruarem mentem.* Edidit etiam diſſertationem ſingularem *de modeſtia, qua Theologum praeditum eſſe oportet* 21).

Et

19) in praefat. ad Obſeruatt. criticas in varios graecos, et latinos, auctores. *Quum Lutetiae ipſum ſaepius ſalutandi, et compellandi, facta mihi fuiſſet copia, aliquando in familiari ſermone teterrimum hunc eruditorum conuiciandi morbum ex animo vehementer deteſtatus, tandem ſic perorauit: Nemo, crede mihi, nemo profecto, veri, et laudabilis, eruditi nomen meretur, aut tantam dignitatem tueri ſatis commode, et ſatis ſplendide, poteſt, niſi ante omnia ſit ingenio mitis, moribus quietus, ingenuique candoris, et generoſae ſimplicitatis, ſtudioſus, verbo, niſi ſit vir honeſtus, et bene moratus.*

20) pag. 27.

21) Anno 1741. Inſerta etiam eſt diſſertationibus eius ſacris, quae prodierunt Lipſiae 1752., p. 284.

Digitized by Google

Et profecto nulli magis, quam viro erudito, incumbit modeſtiae ſtudium. Etenim bonarum artium doctrina, ſi quis recte illam perceperit, modeſtos praeſtat homines, non modo quod ſuauis cuiuſdam e condiſcipulatu conſuetudinis vinculis deuincire ſolet adoleſcentes; non modo quod humanitatem commendat 22), iſt eſt, communis illius conditionis, et naturalis aequalitatis, recordationem: ſed vel maxime eam ob cauſſam, quod, quo quis maiores in bonis litteris progreſſus facit, eo plus, quantum neſciat, quantum a perfecta ſapientia adhuc abſit, intelligit, eo minus ſibi arrogare audet, verbo, eo ſit modeſtior; cum veriſſima ruditatis, et ignorantiae, proles, eademque comes, et index, perpetua ſit immodeſtia 23). Sanitas quaedam mentis eſt, certe ſanitatis index, modeſtia: atque ſic σωφροσύνην interpretari, iubente ipſa vocabuli origine, licet. Iam *ψυχῆς ἰατρεῖον, medicam mentis officinam*, vocauit antiquitas libros, quibus illa ſanitas, illud temperamentum, paretur, et conſeruetur. Docent autem libri id, quod etiam experientia ipſa quotidiana confirmat, viros doctiſſimos quoſque, ac vere ſapientes, fuiſſe eoſdem modeſtiſſimos: docent veritatem prouerbii Francogallici, *Beaucoup de bruit, peu de fruit*, ſtrepitus multum, fructus parum; quemadmodum ſpicae granis vacuae capita ſua attollunt, ariſtarum grauium, plenarumque, proprium eſt incuruari 24).

Pon-

22) Bene GELLIVS N N. A A. XIII. 16. *Humanitatem appellauerunt id propemodum, quod Graeci παιδείαν vocant, nos eruditionem, inſtitutionemque in bonas artes, dicimus: quas qui ſinceriter cupiunt, appetuntque, hi ſunt vel maxime humaniſſimi. Huius enim ſcientiae cura, et diſciplina, ex vniuerſis animantibus vni homini data eſt, idcircoque humanitas appellata eſt.*

23) Hinc apte vox Germanica *Stolz* a Latina *ſtultus* deriuatur, notiſſimumque, ac veriſſimum, eſt prouerbium: *Stultus, vnd Stolz, wachſen auf einem Holz.* vid. WACHTERI Gloſſar. Germ. p. 1616.

24) Hoc bene expreſſum eſt *in den Gedanken einiger Bramanen* apud HERDERVM *in den zerſtreuten Blättern.* 4te Samml. S. 326.

Digitized by Google

Ponderemus igitur CHRYSOSTOMI dictum: Ἐλάβομεν φρόνησιν ȣ̓χ ἵνα εἰς ἀπόνοιαν αὐτῇ χρησώμεθα, ἀλλ' ἵνα εἰς σωφροσύνην — σωφροσύνην ἐκάλεσε τὴν ταπεινοφροσύνην. *Accepimus intelligentiam, non vt ea ad animi elationem vtamur, ſed ad modeſtiam — modeſtiam vocauit* (Paulus) *animi demiſſionem* 25); et Danielis Heinſii ſymbolum: *Quanta ſunt, quae neſcimus!* ſibi quilibet dictum eſſe putet, nec tam quid habeamus, quam quid nobis adhuc deſit, ſemper cogitet: nam ea, quae vel doctiſſimus mortalium nouit, ſunt minutiſſima pars eorum, quae ignorat 26). Modeſtiae enim ſtudium apprime iuuat cognitio ſui. Hinc in Charmide toties coniungit PLATO haec duo, *ſe ipſum cognoſcere*, et *temperantem eſſe;* et inſcriptionem illam in templo Apollinis Delphici γνῶθι σεαυτὸν idem eſſe interpretatur, ac *temperanter, ac modeſte, vive* 27). In primis vero nobis, hominibus Chriſtianis, curae, cordique, eſſe debet modeſtiae ſtudium, quod libri ſacri grauiter praecipiunt 28), et tot illuſtribus exemplis illuſtrant, et commendant, maxime ipſius Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſummi, et incomparabilis, vt omnium virtutum, ita et modeſtiae, exempli, dicentis:

Wenn die Bäume voll von Früchten hangen,
Neigen ſich die Aeſte freundlich nieder.
Wenn ein guter Mann zu Würden aufſteigt,
Neigt er ſich, damit er andern helfe.

25) Homil. XX. ad Rom. XII. 3. p. 294. T. 4. ed. Francof.

26) COELIVS CALCAGNINVS, eruditiſſimus Italus, qui in bibliotheca ſua ſepeliri voluit, dicere ſolebat, ſe ex diuturno ſtudio hoc in primis didiciſſe *mortalia contemnere, et ignorantiam ſuam non ignorare.* THEOPHILVS STOLLIVS, haec narrans, commode addit: *Wenn dieſes alle Gelehrte zu Herzen nähmen, ſo hätten wir nicht ſo viel Windmacher in der Welt.* (*in den Nachrichten, von den Büchern vnd deren Urhebern in der Stolliſchen Bibliothek.* I. Th. S. 11.)

27) v. Charmid. p. 247. ed. Baſil. 2.

28) v. c. 1. Pet. v. 6.

centis: Μάθετε ἀπ' ἐμοῦ, ὅτι πρᾷός εἰμι, καὶ ταπεινὸς τῇ καρδίᾳ· καὶ εὑρήσετε ἀνάπαυσιν ταῖς ψυχαῖς ὑμῶν. *A me diſcite, qui mitis ſum, et animo ſubmiſſus: et inuenietis animis veſtris requiem* 29). Quare bene AVGVSTINVS: *Si quaeras*, inquit, *quae ſit via ad obtinendam veritatem, quidque primum ſit in religione, et diſciplina Chriſtiana? reſpondebo: primum eſt humilitas; quid ſecundum? humilitas; quid tertium? humilitas. Et quoties interrogabis, toties hoc dicam. Sicut enim Demoſthenes in eloquente primas, ſecundas, et tertias, dedit pronunciationi, ita ego dabo humilitati in ſchola Chriſti* 30).

Atque hanc modeſtiam Vobis commendare volui, Viri Praeſtantiſſimi, qui Doctoris Philoſophiae titulo, diligentiae, virtutiſque, Veſtrae praemio, iam ornati eſtis. Quantum enim iſtius virtutis ſtudium, cum eruditionis copia coniunctum, cultoribus ſuis decus affert, tantum dat aditum ad honores, veramque gloriam, ſecundum iſtud LIVII: *Gloriam qui ſpreuerit, veram habebit* 31); ac SALLVSTII, de Catone dicentis:

29) Matth. XI. 29. Conf. quae ad h. l. ſcripſit ſummus, idemque modeſtiſſimus, Theologus, MOSHEMIVS, *de praecipuis doctoris euangelici virtutibus, manſuetudine, et humilitate.* Helmſtadii. 1732. Bene etiam DOEDERLINIVS, Theologus nuper Ienenſis, ſcripſit: Ἐκ μέρους γινώσκομεν. *Wer dieſs vergiſst, iſt kein Philoſoph mit dem Geiſte des Sokrates, vnd kein Theolog im Geiſte des Paulus.* (*Theol. Biblioth.* 4 *B.* S. 528.) Veriſſime, et elegantiſſime, etiam POPIVS cecinit: (*Eſſay on Man.* IIII. 260.)

What is it to be wiſe?
'Tis but to know how little can be known;
To ſee all others faults, and feel our own.

30) Epiſt. 56. Conf. quae de modeſtia Chriſtiana dixerunt Viri Summe Reverendi, mihique nunquam abſque ſumma pietatis, et reuerentiae, ſignificatione nominandi, FRANC. VOLKM. REINHARDVS, et CAROLVS CHRISTIAN. TITTMANNVS: hic *in der chriſtlichen Moral.* §. 576. p. 283 ſeqq. *der 3ten Ausgabe;* ille *im Syſtem der chriſtlichen Moral.* I. *B.* §. 197. p. 530. ſeqq.

31) L. XXII. c. 39.

Digitized by Google

centis: *Quo minus gloriam petebat, eo magis aſſequebatur* 32). Auctore enim SENECA, *gloria umbra virtutis eſt; etiam inuitos comitabitur* 33).

32) Bel. Catil. c. 54.

33) Epiſtol. 79. Idem a GELLERTO noſtro bene expreſſum eſt in notiſſima fabula *Selinde:*

Ie minder ſich der Kluge ſelbſt gefällt,
Um deſto mehr ſchätzt ihn die Welt.

Sämmtl. Schrift. I. S. 90. Et alibi:

Erfüllſt du, was die Weisheit ſpricht:
So wird der Ruhm dir folgen müſſen.

Sämmtliche Schrift. II. S. 68.

THEO-

Digitized by Google

THEOPHILVS DANIEL THEODORVS SCHROEER

LEVBENA - MISNICVS

Natus in hoc vico, prope Miſenam ſito, anno cIↄIↄcclxxii., die xxiii. Nov., patre Chriſtophoro Friderico, ſacris faciundis ibidem Antiſtite: matre Chriſtiana Iuliana Hilligia, quam praematura morte ipſi ereptam dolet. Initiis litterarum domi perceptis, poſtquam parentes optimi animaduertiſſent, eum conſtanter perſeuerare in propoſito litterarum ſtudia porro perſequendi, anno aetatis XI., Fribergam migrare iuſſerunt ad fratrem natu maiorem, nunc Paſtorem Eccleſiae Moertitianae, prope Ileburgum, qui tunc Gymnaſium, quod ea in urbe floret, frequentabat. Hic per unius anni ſpatium eum diligenter inſtituit. Inde Lipſiam venit in Scholam Thomanam, cuius praeceptores, quos per quinquennium habuit, in primis Fiſcherum, optime de ſe meritos eſſe ait. Academicum ſtadium ingreſſus eſt anno lxxxxi., Rectore Gehlero, operam dans in Philoſophicis primum Seydlitio, deinde Platnero, quem etiam Anthropologiam, et Aeſtheticen tradentem audiuit: in Mathematicis Hindenburgio: in Philologicis Erneſtio vtrique, Blümnero, Raabio, ac Bekio, cuius etiam ſocietati Philologicae adſcriptus eſt. Hiſtoriam, Geographiam, et Gallicam linguam, per ſe ipſe tractauit; ſed huius linguae vſum deinde exercuit apud Pierellium. Ita praeparatus lectiones Theologorum adiit. Fidei noſtrae Dogmata docuerunt eum Wolfius, et qui ea per examina illuſtrabat, Forbigerus: Bekius horum Dogmatum Hiſtoriam.

Exegeticas praelectiones in V. T. libros ab Hempelio, et Künoelio, habitas frequentauit: in libros N. T. habitas ab eodem Künoelio, Moro, Wolfio, Keilio, et Bekio. In Hiſtoria Eccleſiaſtica Burſcherum, et Bekium, audiuit. Patronos, et fautores, celebrat Generoſiſſ. Zehmenium, Schleinitii Dominum, Wolfium, Enkium, atque Tiſcherum, Praefecturae Ileburgenſis nuper Procuratorem, qui ei filium ſuum, litteris, et moribus, formandum, ante hoc tres annos tradidit. Maximis etiam beneficiis cumulatus eſt a patruo, et auunculo, mercatoribus apud nos nobiliſſimis, quorum ille, nuper mortuus, eum maioris rei ſuae partis heredem conſtituit.

IOHANNES CHRISTIANVS HOFFMANN

SCHLETTAVIA-MISNICVS

In hoc vico, prope Lauchſtadium, in Epiſcopatu Merſeburgenſi ſito, natus a. CIↃIↃCCLXVIII., patre cognomine, agricola: matre Maria Roſina Meiſneria. Parentes poſtea Lipſiam migrarunt, vbi filium in Schola Nicolaitana curarunt ſedulo inſtituendum. Laudat praeceptorum, quos ibi per VII. annos habuit, ſapientem, ac diligentem, diſciplinam, Martinii, Forbigeri, Lunzii, Aſſmanni, Hübſchmanni, Behringeri, Forwerkii, et Heldii, huiuſque beneuolentiam in primis praedicat. Anno LXXXVII. ciuibus Academiae noſtrae adſcriptus, Pezoldo Rectore, ſtudio Iuris ſe applicauit. Doctoribus vſus eſt in Philoſophia quidem Caeſare, et Pezoldo: in Hiſtoria Hilſchero: in Iuris partibus Sammeto, Püttmanno, Binero, Winklero, ac Hauboldo, cuius viri eximia erga ſa merita laudat. Inde ab aliquot annis in primis Chemiam coluit, in qua magiſtro vſus eſt Hochheimero. Studiorum, ac doctrinae, teſtis eſt liber, quem nuper edidit: *Erfahrungen und Verſuche für Künſtler, Handwerker, und Fabrikanten.*

CARO-

CAROLVS BENIAMIN SCHADE

SORAVIA-LVSATVS

Inferioris Luſatiae vrbs antiqua Sorauia, etiam propter Michaëlem Neandrum, et Baſilium Fabrum, ibi natos, ac deinde doctrina celeberrimos, nobilis eſt. Ibi anno cIↃIↃCCLXXI., die XXV. Aprilis, hic natus eſt patre Iohanne Beniamino, qui pellionis opificium exercet: matre Maria Dorothea Iacobia. Ab his datus eſt in diſciplinam iis, qui in Schola publica docebant, Mükio, et Kühnio, quorum inſtitutione ita profecit, vt poſſet anno LXXXXII. venire Lipſiam, eo conſilio, vt ſtudia litterarum, Theologiae in primis, proſequeretur. Rectore Wenkio ciuis ſcriptus Academiae noſtrae, philoſophari didicit Heydenreichio, et Platnero, doctoribus. In Hiſtoria, atque ſcriptorum Graecorum, et Latinorum, interpretatione operam dedit Bekio, Erneſtio, iuniori, et Schreitero: in Mathematicis Rüdigero: in Theologia, qua Dogmata definit, Roſenmüllero: qua interpretatur libros diuinos, eidem, et Moro: qua de moribus agit, Keilio. Burſcherum habuit ducem in Hiſtoria Eccleſiaſtica, et in Librorum Symbolicorum doctrina. Ius Canonicum eum docuit Flekius: Litteras Hebraicas Meiſnerus. Seydlitii, et Bekii, laudat in ſe beneuolentiam, ac fauorem.

GOTFRIDVS FAEHSE

SCHLESENA-SAXO

Prope Vitebergam vicus eſt, cui nomen Schleſen. Eo in vico noſtri pater Chriſtophorus, tribus abhinc annis defunctus, molitoris opificio ſe, ac ſuos, alebat, cum ei anno cIↃIↃCCLXIIII. d. XXIIII. Aug., e Renata Schumannia hic filius naſceretur. Poſteaquam laudabili parentum cura litterarum initiis inſtitutus eſſet a Paſchio, Scholae Graefenhainichenenſis Rectore, tranſiit in Cizenſem, vbi quinquennium

poſuit

Digitized by Google

poſuit ſub praeceptoribus optime de ſe meritis, Schrogero, et Milkio. Anno LXXXII. Vitebergam ſe contulit, Rectore Antonio Academiae ciuibus adſcriptus. Audiuit in Philoſophia Hillerum, et Reinhardum: in Matheſi Ebertum: in Hiſtoria, tum Catholica, tum Eccleſiaſtica, et Saxonica, Schroeckhium: in Graecis, et Latinis, Zeunium: in Theologiae partibus Tittmannum, et Reinhardum. Quibus duumuiris, nunc Dreſdam ornantibus, (faxit Deus quam diutiſſime!) quantum a ſe debeatur, et probe intelligere ſe ait, et ſibi ſemper in memoria futurum eſſe. Abſoluto talibus ſtudiis quadriennio, vocatus eſt in Hungariam, praefectus regendis moribus, et ſtudiis, filii Generoſiſſimi Viri, Stephani de Szirmay, Eccleſiarum et Scholarum, Euangelicarum Inſpectoris, in vico Nagy-Ida, (quod vocabulum in lingua Hungarica magnam aquam ſignificat) degentis. Exacto ibi triennio, idem munus ei ab Illuſtriſſimo Comite Toeroek de Szendroe, qui Caſſouiae viuit, demandatum eſt. Vtramque prouinciam ita adminiſtrauit, vt, cum et in hac tres annos egiſſet, Scholae, quae Goelnitii floret, Rector praeficeretur. Praefuit et huic muneri tres annos magna cum voluptate: ſed ductus amore patriae ad eam repetendam animum adiecit. Venit igitur Lipſiam, ſeque noſtrae ciuitati dicauit anno LXXXXV., nomine in tabulis conſignato Rectore Bekio.

CAROLVS THEODORVS GVTJAHR

SORAVIENSIS

IVR. VTR. BACC

Hunc pater, Gotfridus, Eccleſiae Sorauienſis Archidiaconus, ſuſcepit anno cIↃIↃCCLXXIII., ex Iohanna Eliſabetha Ortolphia. Ipſius patris diſciplinam fructuoſiſſimam, qua puer inſtitutus eſt, continuarunt Scholae publicae prae-

cepto-

ceptores, inter quos Kühnium in primis laudat. Lipſiam venit a. LXXXXII., Wenkio Rectore eum ciuem adſcribente. In litterarum ſtudiis ſic rationem inſtituit, vt audiret Philoſophiae cauſſa Caeſarem: in Philologia, ac Hiſtoria, Bekium, et Wilandium: in Matheſi, et Phyſica, Hindenburgium: in Iuris partibus Bauerum, Binerum, Einertum, Erhardum, Flekium, atque Sigmannum. Quum anno LXXXXV. Diſſertationem *de exhibitione delinquentium* ſcripſiſſet, eamque, Praeſide Flekio, defendiſſet, examini ſe ſtitit apud ICtorum Collegium, et prima laurea Iuris accepta, Gottingam hinc abiit: auditiſque ibi ſemeſtri ſpatio claris doctoribus Püttero, Martenſio, Bergio, Gatterero, ac Spittlero, rediit ſcientia ditior.

CAROLVS AVGVSTVS KVHL

BAALSDORFIO-MISNICVS

MED. BACC

Prope Lipſiam vicus eſt nomine *Baalſdorf*. Ibi anno cIↃIↃCCLXXIIII. hic eſt natus, patre Friderico Auguſto, A. M. Paſtore Eccleſiae, quo ſexennis orbatus eſt: matre Charlotta Sidonia Vngibaueria, quam vita frui quam longiſſima optat. Patre mortuo, affinis Beyerus, A. M. Diaconus in hac vrbe ad aedem nouam praeclare merens, eum in domum recepit, conſilio rexit, diſciplina erudiit, omniumque rerum ope ſuſtentauit. Inde ab anno LXXXVII. Scholam Nicolaitanam frequentauit, a cuius ſupra laudatis praeceptoribus tantum profecit, vt poſſet, exacto quinquennio, ad Academiam tranſire, quum iam ante ciuitas Academica ei data eſſet ab Erneſtio Rectore. Vſus eſt doctoribus, in Philoſophia quidem, Caeſare, et Platnero: in Matheſi, et Phyſica, Hindenburgio: in Hiſtoria Vniuerſali Wenkio: in Graecis, Latiniſque, litteris Loeſnero, Bekio, ac Erneſtio iuniore. Quum ſe dediſſet Arti Medicae, Naturalem Hiſtoriam a Ludwigio didicit: Anatomicam ab eodem, et Haaſio, et Fiſchero, qui Kilonium abiit: reliquas ſcientiae ſalutaris partes ab Haaſio, Platnero, Ludwigio, Hebenſtreitio, Eſchenbachio, Kühnio, Daehnio, ac Kochio. Praeceptoribus his omnibus, quorum doctrinam, et in ſe

 inſti-

Digitized by Google

inſtituendo fidem, laudat magnopere, atque in primis Ordini Medico animum deuinctiſſimum ſpondet, etiam propterea, quod Waltheriano ſtipendio iuuerit, atque anno proxime praeterito tentatum probauerit, ornaueritque Baccalaurei Medicinae dignitate. Celebrat inſignem beneuolentiam erga ſe Gehleri, Ordinis Med. Decani meritiſſimi, (cui viridem ſenectam ex animo precamur) Wolfii, a quo ſtipendium Nationis Miſnicae accepit, atque Trierii. Huius viri integerrimi nupera mors ei luctuoſa fuit, ſicut omnibus bonis: ſed ab eius vidua, matrona optima, pari liberalitate ſe haberi gratiſſimus ſignificat.

IOHANNES FRIDERICVS GVILIELMVS DOERING

LVCCAVIA - LVSATVS.

Hunc pater Iohannes Chriſtophorus, ſacra curans in ergaſtulo Luccauienſi, Lyceique ibidem florentis Collega, ſuſcepit a. cIↃIↃcclxxii. e Iohanna Dorothea Eliſabetha Iſraëlia, quam ante hos xvi. annos mors abſtulit. Elementa prima ab ipſo patre doctus, Lyceum vrbis patriae frequentauit, cuius magiſtris, in primis Fürſtenhauptio, et Wolfio, obſtrictum ſe agnoſcit. A. lxxxxi. Lipſiam venit, Rectore Bekio. Doctores in Philoſophia ſecutus eſt Seydlitium, Caeſarem, Heydenreichium, et Platnerum: in Matheſi Hindenburgium: in Hiſtoria Wenkium. Rei Poëticae cauſſa meis interfuit ſcholis. In Theologicis doctrinis audiuit Burſcherum, Morum, Roſenmüllerum, Keilium, Wolfium, ac Forbigerum. Hiſtoriam Eccleſiaſticam a Roſenmüllero, rerum ipſius magno fautore, et Bekio, accepit: Hebraica a Meiſnero. Subſidio ſtudiis eius fuit Electorale ſtipendium, aliudque a Senatu vrbis patriae acceptum. Praedicat etiam munificentiam erga ſe Schacheri, Gaudlitii, Wilandii: quorum beneficiorum ſempiterna memoria animo ipſius gratiſſimo nunquam excidet. Denique laetatur, quod ſibi contigerit amicitia Platonis, viri in arte iuuentutis educandae apud nos celebris.

Atque

Atque hi ſeptem Iuuenes, de quorum vita hic expoſuimus, antea iam omnes, alio quiſque tempore, quum ab Ordine noſtro per colloquia rite examinati eſſent, Philoſophiae Doctores, et L. L. A. A. Magiſtri, diplomatibus publice propoſitis, creati ſunt, atque declarati. Sequitur iam, vt de vita reliquorum ſex Candidatorum exponamus.

AVGVSTVS GOTLOBVS HOFFMANN
BVDISSAS

Natus eſt anno cIↄIↄccLxxiii., patre Iohanne Theophilo, ciue apud iſtam vrbem, opificio pannifice: matre Martha Eliſabetha Iohnia. Quum his pauperibus parentibus in anguſto ſpes erat, filium poſſe liberaliter educari; ſubuenit beneficentia Prenzelii, Senatus Budiſſ. Camerarii, eximiae bonitatis viri, qui puero bene cupiens, eum non ſolum in ludo inferiori docendum curauit, ſed etiam, cognita eius docilitate, et diſcendi cupiditate, Gymnaſio tradidit, multiſque beneficiis ornauit. Praeceptorum, quos ibi habuit, Roſtii, Boettigeri, (poſtea Vinariam vocati) Coberi, Demuthii, Petri, Rauſendorfii, et Fridemanni, promtae, atque accuratae, inſtitutioni multum ſe debere gratus agnoſcit. A. LXXXXI., cum maturus praeceptoribus ad ſeueriora ſtudia videretur, eſſetque auctus annua pecunia Senatus vrbis patriae beneficio, venit Lipſiam, noſtris accenſus Rectore Bekio. Hic ſtudiorum hanc rationem tenuit, vt primum Philoſophiam diſceret a Caeſare: Hiſtoriam a Wenkio: Humanitatis litteras a Loeſnero, Bekio, Dindorfio, Erneſtio iun., et me. Iam, quod ſe Theologiae in primis dicaſſet, audiuit Burſcherum, Boſſekium, Hempelium, Dindorfium, atque Meiſnerum, V. T. libros explicantes: N. T. Morum, Roſenmüllerum, Keilium, Wolfium, Loeſnerum, et Künoelium. Theologiam Dogmaticam ab Hempelio accepit: Hiſtoriam Eccleſiaſticam a Burſchero. Praeterea ſcholas Examinatorias, et Diſputatorias, Dindorfii obiit. Anno proxime praeterito ſocium eum legit Carolus Fridericus Richterus, A. M., cum e cathedra diſſertationem defenderet. Nunc in domo Wenkii, quem ſibi patronum contigiſſe in magna ſuae felicitatis parte ponit, filiorum

filiorum eius optimae ſpei inſtituendorum fungitur munere. Honores Philoſophiae adipiſci eum cupientem, iuuit Ordo noſter, collata ei potiſſimum Henriciana pecunia.

HENRICVS AVGVSTVS GOTTHELF FLEISCHHAMMER
ALTENHAINA-MISNICVS

Non longe a Grimma vicus eſt, qui patria lingua dicitur *Altenhain*. Ibi natus hic eſt anno cIↄIↄcclxxii., patre Iohanne Gotthelf, Eccleſiae vici Paſtore, iam xi. abhinc annis vita defuncto: matre Maria Chriſtiana Aſſmannia. Quamquam litterarum tractandarum cupiditate flagrabat, earumque initiis erat diligenter imbutus a patre; tamen, hoc in exigua re familiari mortuo, paene coactus fuiſſet initam ad haec ſtudia viam relinquere, aliudque vitae genus eligere. Sed accidit ſingulari Dei prouidentia, vt, qui Altenhainae Dominus tunc erat, Generoſ. Biſſingius, eum non ſolum cum liberis ſuis erudiendum curaret, ſed etiam multis ornaret beneficiis. Profecerat ibi tantum, vt poſſet anno lxxxvi. recipi Grimmae alumnus Electoralis: qua in Schola quinque annos a Mükio, Hofmanno, Reichardo, Hochmuthio, ac Richtero, ſic habitus, et inſtitutus, eſt, vt illius temporis iucundiſſime acti memoriam crebro apud animum excitet. Honorifico teſtimonio praeceptorum ornatus, Lipſiam venit a. lxxxxi. Rectore Bekio. Applicauit ſe Theologiae ſtudio, ſed vt praemitteret, vt par eſt, Philoſophiam, Humanitatis litteras, et Hiſtoriam. Hanc a Wenkio eſt doctus: illas a Bekio, et Erneſtio iuniore: iſtam a Seydlitio. Libros diuinos ei explanarunt Roſenmüllerus, Morus, Hempelius, Keilius, Wolfius, Künoelius, et qui duobus abhinc annis Giſſam abiit Theologiae Profeſſor, Palmerus. In Hebraicis dedit operam Hempelio. Eundem etiam, et Wolfium, in Theologia Dogmatica ſectatus eſt: in Morali Morum. A Burſchero Hiſtoriam Rerum Eccleſiaſticarum, et Inſtaurati Cultus Euangelici, et librorum Symbolicorum doctrinam, accepit. Exercuit ſe apud Hempelium reſpondendo ad interrogata ſuper Theologiae Dogmatibus. Conficiendarum Homiliarum praecepta ei tradita ſunt a Wolfio.

Quorum

Quorum omnium in ſe docendo fidem ſingularem, dexteritatemque, gratus praedicat. In primis vero Hempelii in ſe ornando ſummum ſtudium, ſollertiam, beneficia, ſic laudat, vt paene parentis loco ſibi eſſe videretur. Memorat etiam, ſe adiutum beneficio Electorali, eius generis, quod praefectura ſoluit Epiſcopalium praediorum Miſnenſium.

GOTFRIDVS BOGNER

LVSATVS

Ludwigsdorfium vicus eſt prope Gorlicium ſitus, vbi huius pater, Iohannes Georgius, agro colendo, et opere faciendo, ſibi victum quaerit. Ibi natus hic eſt a. cIↄIↄcccLxIIII. ex Roſina Mihlia. Licet igitur eſſet in re valde tenui, tamen mira diſcendi cupiditate accenſus, litteris tractandis ſe dicavit, et prouidentiam diuinam, in qua ſpem poſuit, ſingulari modo eſt expertus. Inſtitutionem in ſchola publica acceptam, diligenter continuauit Paſtor in eo vico, Kaeuterus, ſub quo tantum profecerat, vt poſſet anno aetatis xvIIII. ſe dare in diſciplinam Gymnaſii Gorlicienſis, cuius Rector Baumeiſterus eum non ſolum ſumma beneuolentia excepit, multiſque beneficiis auxit, ſed et priuatim perpetuis exercitiis ingenium ipſius agitauit. Laudat etiam reliquos, quos ibi per octo annos habuit, praeceptores, Neumannum, Schwarzium, Groſſerum, Tſchoppium, Petrium, Hortſchanſkium, Lubiſchium, Altenbergerum, atque Neumannum, qui tum Matheſin in Gymnaſio docebat, nunc Scholae Loewenbergenſi, in Sileſia, Rector praeeſt. Per hoc tempus optime de ſe meritos eſſe ait Lehmannum, Gebelzigii Dominum, atque Noſtitium, in Collegio de tuendis pupillis Aſſeſſorem, quorum filiis ſtudiorum comes eſt additus. Academiam noſtram petiit anno LxxxxII., ciuis Rectore Wenkio adſcriptus. Philoſophiae operam dedit apud Caeſarem, et Platnerum: Iuri Naturae, et Hiſtoriae, apud Wilandium: Matheſi apud Borzium, et Rüdigerum: Philologiae apud Bekium, Erneſtium iun., Bornium, et Blümnerum. In Theologia Keilii lectiones Dogmaticas, et Morales, auſcultauit: eiuſdem Keilii, Roſenmülleri, Mori, Wolfii, Bekii, et Meiſneri, Exegeticas. Hiſtoriam Eccleſiaſticam, Dogmatumque religionis Chriſtianae, enarranti Bekio

 aſſedit:

aſſedit: Symbolicos libros explicanti Burſchero. In lingua Hebraica eum exercuit Rüfferus, A. M. nuper Sorauiam vocatus. Me ipſum denique in Hiſtoria Litteraria, ſpectatae aſſiduitatis auditor, ſecutus eſt. Subſidio ſtudiis eius fuit ſtipendium a Generoſ. Gerſdorfio, Meſſerſdorfii Domino, ei collatum. Singulari etiam, et immortali, pietate ſibi colendam eſſe ait humanitatem, atque liberalitatem, eximiam viri, anno proxime praeterito mortui, cuius reticet nomen, eiuſque viduae, demonſtratam iis documentis, quae non queat dignis verbis efferre.

FRIDERICVS CHRISTIANVS GELPKE

DELITIO - MISNICVS

Delitium anno cIↃIↃCCLXXIII. huic natales dedit per Henricum Gotthelf, opificem ſaponarium, et Iohannam Sophiam Heldiam: quorum parentum iam mortuorum in ſe educando curam laudat. E ſchola vrbis patriae anno LXXXVI. in Portenſem venit, munificentiae Electoralis alumnus. Meruit ibi quinque annos ſub praeceptoribus, Geiſlero, Eiferto, Gehio, Barthio, Hildebrando, Weiſkio, Fleiſchmanno, Libelio, Schmidero, et Schmidio, quibus plurimum a ſe deberi ait. Inde a. LXXXXII. noſtram adiit Academiam, relatus in ciues Rectore Hindenburgio. Praelectiones audiit Caeſaris, et Platneri, Philoſophicas: Rüdigeri Mathematicas: Wenkii, et Bekii, Hiſtoricas. Theologiae partes a Burſchero, Moro, Roſenmüllero, Wolfio, et Keilio, accepit. Linguam Hebraicam eum docuit Hempelius, et Meiſnerus. Biennio abhinc delectus a Burſchero, qui Theologorum eo tempore Decanus erat, orationem Latinam pro ſuggeſtu in Aede Paulina recitauit. Stipendiis adiutus eſt Electorali, alioque a Senatu vrbis patriae ipſi tributo. Laudat etiam fauorem erga ſe Ludwigii, et, qui triennio abhinc mortuus eſt, Krauſii, Medici apud nos clariſſimi.

IOH. AVGVSTVS MARTINVS HAASENRITTER

FRIBVRGO - THVRINGVS

Natus in hoc antiquiſſimo Thuringiae oppido, inter vineta amoene ſito, anno cIↃIↃCCLXXV., patre Iohanne Martino, in Praefectura Friburgenſi iudice ruſticano (*Amtslandrichter*

richter): matre Iohanna Sophia Kunitia. Horum parentum, quos adhuc ſuperſtites veneratur, in eum fuit ſemper tantus amor, vt nihil eorum, quae intelligerent curanda eſſe, vt filius bene inſtitueretur, omiſerint. Puerum docuit primo Hindorfius, Scholae patriae Cantor. Anno LXXXV. deductus Halam, ibi receptus eſt inter alumnos Orphanotrophei. Poſt biennii decurſum in Schola Portenſi locum beneficiarium conſecutus, quinquennium poſuit ſub praeceptoribus modo laudatis. Lipſiam conceſſit a. LXXXXII., ciuis Wenkio Rectore adſcriptus. Adiit ſcholas Philoſophicas Caeſaris, Heydenreichii, et Platneri: Hiſtoricas Bekii: Philologicas eiuſdem Bekii, et Erneſtii iunioris. In Theologia Wolfii, Palmeri, et Forbigeri, lectiones Dogmaticas auſcultauit: Morales Keilii. Roſenmüllero Theologiam populariter tradenti aſſedit: Burſchero libros Symbolicos explicanti: Bekio Hiſtoriam Eccleſiaſticam, et Dogmatum, docenti. Noui Teſtamenti libros idem hic, et Morus, et Keilius: Veteris, Meiſnerus et Künoelius, ei ſunt interpretati. Adiutus eſt ſtipendio Electorali. Praeterea benigne ſibi feciſſe gratus memorat Hofmannum, horrei vini vernaculi, quod Lipſiae auctoritate publica venditur, procuratorem. Anno proximo ſubiit Dreſdae feliciter id examen, in quo qui ſteterunt, eos Miniſterii Eccleſiaſtici Candidatos appellamus.

DAVID LVDOVICVS WIGAND
TOPFSTADIO - THVRINGVS

Prope Weiſſenſeeam, in Thuringis, duo ſunt vici Topfſtadii nomine: alterum ſuperius, alterum inferius. In hoc noſter natus anno cIↃIↃCCLXVIII., patre Henrico Friderico, tunc temporis ibidem ſacra curante: matre Maria Friderica Wurzleria. Parentes praematura morte ipſi erepti, in tanta paupertate liberos ſuos reliquerunt, vt hunc filium ruri colendo, omninoque rei ruſticae curandae, tempus impendere oporteret. Igitur laetabundus agnoſcit excubantis pro ſua ſalute benefici Numinis certa ſigna. Anno aetatis XVII., cum diſcendarum meliorum litterarum deſiderio teneretur, Iſlebiam venit, et aditum in Gymnaſium petiit: ſed fruſtra, ob ſummam iuuenis paupertatem. Igitur Quedlinburgum

ſe

ſe contulit, et ominibus quidem tam fauſtis, vt poſſet Gymnaſio iſtius vrbis ſex annos integros intereſſe. Inter Patronos, quorum beneficiis ibi ſuſtentatus eſt, eminet Beſſerus, Paſtor Primarius, cuius beneuolum, et quaſi paternum, in ſe animum fatetur ſe pro dignitate laudare non poſſe. Praeceptorum, quos ibi habuit, in ſe erudiendo curam, et fidem, gratus agnoſcit, in primis Meinekii, et Wittigii. Ex horum virorum, quibus, praeter multa alia, verum litterarum amorem debeat, praeclara inſtitutione ita ſe profeciſſe ſenſit, vt poſſet anno LXXXXX. Academiam petere Ienenſem, cuius ciuem eum ſcripſit Schützius, t. t. Prorector. Hic eum ſtudiorum ordinem ſeruauit, vt Theologiae addiſcendae Philoſophiae cognitionem, et Humaniorum litterarum tractationem, praemitteret. Frequentauit igitur ſcholas Reinholdi, Schmidii, et Schützii, quorum diſciplinam tanti facit, vt felicem ſe praedicet, qui eos doctores habuerit. In Iure Naturae cognoſcendo vſus eſt magiſtro Hufelandio: in Theologiae partibus, ac Hiſtoria Eccleſiaſtica, Griſbachio. Triennio Ienae exacto, noſtram ſalutauit litterarum Vniuerſitatem a. LXXXXIII., Rectore Caeſare. Huius inſtitutionibus Philoſophicis mox interfuit, eſtque eius maximam beneuolentiam inde ab eo tempore, ad hunc vſque diem, expertus. Huius viri commendationi, atque auctoritati, etiam ſe debere ait ſtipendium Baſtinellerianum, a Profeſſorum Collegio ipſi collatum, eaque inſignia beneficia, quibus a Borzio, ſene venerabili, eſt ornatus. Reliqui praeceptores, quos apud nos audiuit, quoſque omnes memorat ſibi fauere, et bene velle, nominantur ab eo hi: Burſcherus, Keilius, Bekius, Erneſtius iunior, ego denique, quem ſuper Hiſtoria Litteraria diſſerentem, diligentiſſime audiuit. Iam vt petere honores Philoſophicos poſſet, effectum eſt ab Hindenburgio, qui eum ſtipendio Nationis Miſnicae adiuuit. Quorum virorum omnium patrocinium ſibi contigiſſe, maximopere laetatur, petiitque a nobis, vt hic meminiſſemus, et publice teſtaremur de ſua in illos reuerentia, et pietate.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

This book should be returned to the Library on or before the last date stamped below.

A fine of five cents a day is incurred by retaining it beyond the specified time.

Please return promptly.

Digitized by Google

Lc 40.207
Ad locum Cicer.
Widener Library 005301009
3 2044 085 253 987